

JESUS
SOL SALUTIS

levi penicillô adumbratus

&

FERIIS HISCE PASCHALIBUS

Christianæ pietatis cultoribus

eosque inter

Lycei patrii civibus

ex animo ex officio

dicatus à

M. HENNINGO WITTEN

Eloq. & Hist. P. P.

RIGÆ

TYPIS GEORG. MATTH. NÖLLERI.



lem hodie Solis verè magnum, imò maximum, diem tot hæcenus piorum votis tenerrimè expetitum, diem gratissimo exuberantis gaudii lumine universum terrarum orbem, saluberrimè illustrantem, cum toto fidelium cœtu, solemniter celebramus. Hòc enim æternus ille idemque divinus justitiæ Sol, CHRISTUS, superatâ feliciter atrocissimorum cruciatuum nocte, depulsâ penitus ignominiosissimæ mortis caligine, & in orcum detrusis hostium infensissimorum tenebris, clarissimo restitutus splendori, è tumulo, velut thalamo, pulcerrimè exoritur. Vivò iterum vitæ Dominò, suus cœlo pariter ac terræ nitor repentè redit, inque vires pristinas restituta denuò visibilibus Dei operum machina apparet. Sunt equidem, qui credulæ adhuc & insipidæ persuadere satagunt plebeculæ; solem illò mane, quò revixit Servator, ternis eum subsultibus salutasse, hocque tripudium quotannis, festò Paschatis die, inter exoriendi initia revocare: Verùm enim verò aniles hæc nœnias, quarum vel sexcentas superstitiosa lepidè ac stolidè excogitavit ætas, in qua, quid potius agerent homines, nil habuerunt, ad suos meritò remittimus auctores, probè scientes; sublimia cœli mysteria terrenis mendaciorum quisquiliis deturpanda non esse. Triste profectò & per-

quam luctuosum extitit spectaculum, cum nudius
tertius Sol, nitidus mundi oculus, in firmamento
poli, & æternus ille simul salutis nostræ Sol, ὁ Θεός
Ἰησοῦς, in crucis ligno, obfuscaretur, ac uterque su-
os aliquan diu orbi radios subduceret. Creatus quip-
pe Sol alterius istius increati, à quo lumen omne ac
vitam nactus est, deliquium non absque suo intueri
deliquio formidans, suffusum quasi pudore vultum
lugubri nubis peplô protinus obduxit, horrendaq;
universam naturam caligine involvit. Quamob-
rem qui hucusq; per conspicuum hujus mundi am-
phitheatrum lucis suæ vim diffuderat, mox, tanquam
exul & proscriptus, visô ingenti illô in Calvariæ mon-
te tum peracto scelere, nihil nobis, spissas præter te-
nebras ac luctum incomparabilem, reliquit. Ita
nimirum genuinô cœli sole extinctô, omnis mun-
di lux squalore jacuit obruta, & propemodum sepul-
ta: At verò hodie, quod nunquam non gratô de-
prædicandum ore ac pectore, dissipata quævis sunt
tenebricosissima, Sole Paschali in altissimum amoris
æstum procedente, suumque latè ac lætè fulgorem
spargente. Pertransit modò atra spinarum, clavo-
rum, vulnerum nox: Nova corruscat Olympi gra-
tia, & purpureus multò splendidior nunc assurgit
Phæbus, quò lumen in nos spargat prorsus aureum.
Atque hoc intendere videtur, dum, depositâ quasi to-
gâ pullâ, in aëre redux lætiori sese sereniorique facie

con-

conspiciendum præbet. Etenim omni ex parte
convenit, ut, qui obscurò insolitæ noctis funere ive-
rat exequias in cruce morientis, nunc triumfalem ab
inferis reditum gaudii plenus excipiat resurgentis.
Quidni ergo & nostræ lætentur mentes, die tam
auspicatò, tam ridenti ipsò cœlò, soleqve tantâ se-
renitate illustrissimi sui Solis atq; Sospitatoris ortum
ac vitam annunciantes? Neminem, credo, nostrum
facile fugere, quàm fœdâ olim superstitione Ethnici
hunc, quem suos undiqve jaculari viderunt radios,
solem coluerint, quantaqve cordis ac gestuum vene-
ratione illud creati sideris lumen multis jam inde se-
culis affecerint. Atqve inde provenit, quod so-
lem Plato ipsius boni conspicuum nominaverit fi-
lium, & Tullius ut ducem & principem & mode-
ratorem luminum, mundi mentem ac temperatio-
nem veneratus fuerit. Heraclitus idem illud astrum
cœlestis lucis fontem, sicut & Plinius principale na-
turæ regimen ac mundi animum appellare nequaquã
dubitârunt. Ad hæc solè Egyptii *μείνον ἕρπαιον θεόν*, unicum
cœli Numen dixere, quod Dei invisibilis solus visibi-
lium imago existat. Quid? quod, si Macrobio fi-
dem non denegamus, Græci, Romani & pruden-
tiorum quique veterum cunctos religionum cultus,
sub variis variorum Numinum conceptibus, uni ex-
hibuerint soli. Ex quo Cælius concludit Rhodiginus:
Qui non solem videt in mundo imaginem esse vica-

riumque Dei, is certè noctem nunquam considera-
vit, nec solem suspexit ex oriente, neque item illius
animadvertit munera, nec Areopagitæ Dionysii mo-
numenta unquam adiit. At verò miseri nubem hîc
amplexi sunt pro Junone, vel ut clarius eloqvar, cre-
atum pro Creatore, ac lumen pro Numine, succiduô
adorârunt poplite. Ô quàm feliciores nos hodie,
qvibus plenum divinitatis jubar, irretortis fidei ocu-
lis perlustrare desuper immittitur! De Diocletia-
no Imperatore constans prodidit fama, quod eò in-
solentiæ processerit, ut non Jovis solùm, sed fra-
trem quoq; Solis atque Lunæ se dici voluerit. Dementi-
æ hoc ipsum fuerit aut arrogantix, non equidem,
nunc definitio, illud nihilominus audacter pronun-
cio; Redemptorem nostrum, qvi tertiâ die à mor-
tuis surrexit, dubio absque omni solem esse justitiæ,
splendorem gloriæ divinæ, & lucem, quâ sufficien-
tissimè qvicunq; illuminantur mortales. Ab hoc
siquidem Sole omnes accipiunt omnia; captivus re-
demptionem, æger sanitatem, tristis solatium, pec-
cator veniam, justus gratiam, nec est, qvi ab ejus se
abscondat lumine. Qvò digitum intendere vide-
tur, qvi, emblematis locò, solem in cœli umbilico,
lunam inter, planetas, aliasque molis diversæ constel-
lationes, defixum pingi curavit, hâc gnomâ exor-
natum: SPLENDET IN OMNES. Ab eo enim
sicut cuncta firmamenti sidera splendorem mutuan-

tur

tur; sic à summo lumine, sine quo nihil est in ho-
mine, bona in nos quævis largissimè defluunt. Præ-
terea quum sol igneæ sit naturæ, calorem de se per-
petuò spirat animatum, vivificum, & verè cœlestem:
Atque in eo omnes naturæ vires quasi in receptaculo
& fonte perenni reconditæ sunt. Profectò quod
sol in regno naturæ, id CHRISTUS in regno gra-
tiæ longè præstantius efficit. Simulac enim sol gra-
tiæ illuxit, & salutarem nobis aspiravit calorem, con-
tinuò vita, sensus, motus redeunt, ac vetus cum su-
is operibus emoritur homo. Anima advertimus adhuc
indies, quod naturalis à Sole calor non possit non ac-
commodam sibi quæ applicatam attenuare, liquefa-
cere & resolvere materiam: Idem quoque contingit,
quando verus contritionis fervor, à benigno æterni
solis calore excitatus, nostra subintrat præcordia,
tum nempe dissolvit & annihilat infelix illud, quod
in animo succrevit, lolium, peccatorum gramina
extirpat, & aquam inde lacrumarum fluere ac ema-
nare facit. De Adamante scribit Plinius, quod hic
lapis omnium durissimus nec igne, nec ferro, nec
chalybe, nec ullâ aliâ re, præterquam sanguine capri-
nò, eo quæ calidò, frangatur & emolliatur. Credat,
aut ambigat de eo, qui volet: Negari prorsus nequit,
tantam humani cordis esse durtièm, ut persæpe neque
tribulationis igne, neque ferrò castigationis divinæ,
illa superari & emolliiri possit. Quocirca necessum

est

R Est.

A-11539

18300

est, ut calore cœlesti pectora nostra inflamm
 liquefiant, si contritione flecti & emendari
 Quæ cum ita sint, quis, quælo, ad salutarem h
 advolare tignem, ut à justitiæ sole, CHRISTO
 num illustraretur? meram ille vitam, meram spirat gra
 tiam & salutem. Quod si etiam Phœnices suum Ado
 nim, Ægyptiîq; Osirim, quorum utrumq; solem in
 terpretantur eruditi, magnâ quotannis lætitiâ excipi
 ebant: Quantò nos æqviori jure nostrum solem, ama
 bile videlicet orientis ejus lumen, amicissimâ oculo
 rum mentiumq; veneratione consalutare fas est? Acce
 dite proinde, ubicunq; estis, lucis filii, & hâc luce lu
 cidissimi sideris, æterni solis, excipite radios. Vidistis
 pridie occidentem in morte, & orientem hodie in glo
 ria conspiciatis. Cogitate, quò fulmine prostrati, resur
 gente eò, circumfusi ceciderint custodes, cum vel tan
 tillum majestatis suæ ac lucis nativæ emitteret. Quare
 in perpetuam hujusrei memoriam, lumen vobis si
 stite grande, fulguris instar, versus caligantem cam
 pū coruscans, cum epigraphe: CLARO AB ÆTHE
 RE PAVOR. Gaudete ad exoptatissimum animæ no
 stræ sidus, paschali exortum die, sed cum timore & tre
 more, ne sordes peccatorum optimi maximiq; lumi
 nis progressum impediunt. Dicite mecum omnes; ô
 lux unica, ô lumen de lumine, infunde in rigida hæc frigidaque
 pectora verum amoris tui lumen! Effice Sol serenissime, Chri
 ste, ut toti deinceps tuis ardeamus flammis, tuis ignibus colli
 qvescamus! Ita paschale gaudium, ceu decet, ominò erit no
 bis salutare ac perpetuum. Dabam Rigæ, Festo Resurrectio
 nis Dominicæ, Anno cto IocXXCVI.